



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Enarratio Epistolæ Prioris Ad Timothevm, Et Dvorvm Capitum secundæ

Melanchthon, Philipp

Vitebergæ, 1561

VD16 M 3167

Ex corde puro.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36308**

I. EPISTOLA AD

*Ex corde puro.*

Primum quid nominat cor purum, aut quis est omnino in hac imbecillitate hominum, cuius cor sit purum? Respondeo iuxta dictum Apostolorum in Actis capite 15. Fide purificans cor eorum. Nominat igitur cor purum fide purum, id est, non Epicureum, non Academicum manens in dubitatione, non Sauliticum, id est, frangens Deum, & irascens Deo, sed iam recte sentiens de Deo, & ad eum accedens in uera agnitione & fiducia filij Dei, & agnoscens uere nunquam inmundos tamen recipi, & tegi nostras sordes nunquam multas & magnas, impetata nobis mundicie & iusticia filij Dei, Sic & Dauid inquit: Asperges me Domine Hyssopo & mundabor. Et postea: Cor mundum creauit me Deus, id est, recte sentiens de Deo, conspersus sanguine Filij. Et cum sic purificantur fide corda, accipiunt Spiritum sanctum, se Deo subiiciunt, iam incipiunt querere gloriam Dei, & obedire Deo, & habent uera initia dilectionis Dei et proximi. Comprehendit enim Paulus nomine dilectionis opera omnium preceptorum Decalogi. Sicut alibi inquit, Dilectio est impletio Legis. 1. Iohannis 5. Hæc est dilectio Dei, mandata eius custodire. Sit igitur hæc definitio, Dilectio est

uirtus, qua postquam misericordiam Dei propter  
 filium promissam fide apprehendimus, iam cum  
 diligere & ei gratias agere incipimus, & nos ei  
 subijcimus, & obedientiam iuxta omnia mandata  
 inchoamus, cum quodam sensu leticiæ in Deo.  
 Ut autem antea dixi prius fide purificari corda,  
 ita & postea sciendum est, hanc inchoatam obe-  
 dientiam etsi adhuc multæ sordes in nobis sunt, ta-  
 men placere Deo propter mediatorem, nec in-  
 choari dilectio potest, nec placet nisi precedat  
 fides. Ideo & Paulus mox addit ex fide non fru-  
 cta.

*Ex conscientia bona, & fide  
 non simulata.*

Vniuersaliter hanc regulam de nostra obedi-  
 entia seu de bonis operibus sciri necesse est, quan-  
 quam nostra obedientia procul abest à perfectio-  
 ne, & herent in nobis peccata, tamen oportet ta-  
 lem esse obedientiam in conuersis, ut sint in nobis  
 fides & bona conscientia, id est, propositum non  
 peccandi. Hic gradus in conuersis necessarius  
 est, quod & hoc dicto Pauli confirmatur, et alijs,  
 ut in fr. à, Milita bonam militiam, habens fidem &  
 bonam conscientiam. Et 1. Petri 3. Conscienti-  
 am bonam retinentes. Item ad Corinth: Hæc est  
 gloriatio nostra testimonium conscientie nostræ,

B 5 Nec